



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Medardvs. Tornaci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

M E D A R D V S.

Tornaci.

8. Iun.

MEDARDVS vir cum rara vitæ sanctimonia, tum miraculis iam inde à pueritia nobilis, Veromanduarum Episcopatum diu precibus fatigatus administrandum suscepit; quorum sedem (quod metropolis augusta à Wandalis & Hunnis enersa esset) Nouiomi, opido propugnaculis egregiè munito, collocauit. Cæterum quo tempore Nouiomensis ille Ecclesiam gubernabat, sanctus Eleutherius Tornacensium Episcopus anno 523. vitam cum morte commutauit: cui iam seni quoniam sanctus Medardus fuerat adiutor, clerus ac populus Tornacensis statim vt iusta beato Eleutherio fuere perfoluta. Medardum sibi Episcopum dari postularunt, nec destiterunt reluctantem & multa excusantem obsecrare, donec adiuuante etiam Remigio Metropolitano, cæterisque Prouinciæ Episcopis, Rege etiam & proceribus suâ auctoritate rem promouentibus, animum viri expugnarunt, & vt curam Ecclesiæ sibi commendatæ susciperet, peruicerunt. Victus igitur tanto honorum omnium consensu, vtriusque Ecclesiæ administrationem suscepit, Flandrosque gentē tunc temporis Syluestrē quindecim annorum spatio, docendo, instando, orando erudiuit, & magnis laboribus præfractos ferocesque animos ab impietate & barbarie ad mansuetiorem viuendi rationem per Christi Iesu doctrinam perduxit. Qua in re compos voti factus ex hac vita anno Domini 556. iuxta Sigeberti calculum emigravit. Vide apud Cognatum & Miræum.

MOMME-